

### Monasterium Isnenſe.

453

*Fridericus Barbaroſſa Romanorum Imperator filius Friderici Suevorum Ducis ex Domina Judentha, qua ſoror extitit ſupra dicti Welfonis: is Fridericus laudatiſſimus Imperator dicitur fuiſſe plenus frater congregationis Isnenſis: Rudolpus item Palatinus Tubingenſis & uxor ejus Domina Matildis Anno Domini 1187.*

Primus apud Isnenſes Abbas fuit S. Mangoldus electus Anno 1096. Qui cum Monachos ſuos (ut inquit Gab.

Bucelinus in ſuo Menologio Benedictino die 19. Februarii) in omni vitæ ſanctitate inſtrueret, & ſub regularis vitæ rigore coërceret, ab impio & ingrato quodam diſcipulo paternas monitiones aſpernante crudeliter occiſus illuſtrem Martyrii coronam promeruit Sanctorum Monachorum factis ſeu natalibus adſcriptus duodecimo Calendaris Martii.

## ISNENſE.

**H**Abuit antiquitùs idem aſcerarum Benedictinorum recentium Isnenſe Coenobium (more priſcis ſeculis uſitato) ponè conjunctum devotiſſimum aliquod foeminini quoque ſexùs Inſcluforium; indè tamen videntibus annis penitùs exinanitum: quod ipſum, dùm

adhuc ſub eodem ordine monaſtico floruit, magnis vitæ ſanctioris meritis illuſtravit celebris admodum loci quædam nobilis domicella ex nomine ſuo Adelhaidis dicta: cujus laudis uberius explanatas vide in noſtrâ Sueviâ Sanctâ part. 1.

## ITTINGENſE.

**S**eu aliis *Ittingenſe* dictum religioſum Superiori ætate domicilium ſororum Ordinis S. Franciſci tertiam (uti vocant) regulam profitentium diœceſis Conſtantiensis in rurali Decanatu ſeu Capitulo Herrenbergenſi territorio Wirtenbergenſi jam dudum in odium or-

thodoxæ religionis cum reliquis terræ hujus Collegiis ſacris & Monafteriis adeo ſuppreſſum, ut vix conſtet de nomine illius, quod vel breviffimè ſolum unus commemorat Cruſius in Paralip. ad annales Sueviæ cap. 13. fol. 56.

Lit. K.

## \* KAPFENBURGENſE.

**T**aliter ætate noſtrâ nuncupatum, prioribus verò ſeculis *Kapfenburgenſe* dictum inſigne caſtrum, ſeu juxta morem, *Commenda* vocari ſolitum equeſtris Ordinis Teutonicorum B. Mariæ Virginis inſigne proſuſ domicilium in diſtrictu lariſſimæ diœceſis Auguſtanæ & conſinio Comitatus ſeu Principatus Oerttingenſis haud procul Nördlingâ civitate imperiali ſitu peramano in præcelſo colle tranſeuntibus adſpectandum; idem ipſum juribus ac redditibus (atque hos inter toto etiam præclariffimo oppido Lauchenſi ad radices montis Kapfenburgenſis propiùs adſito, eoque privilegiis Cæſareis variis ac pluribus nobilitato) adeo pinguibus liberaliffimè dotatum, ſuoque memorato Ordini

militari hodie dùm integerrimè ſervatum, & hinc à Nobili quodam Commembro illius uſque hætenùs inhabitari ſolitum. Atque hujus Kapfenburgenſis reſidentia ſingularem etiam mentionem facit Cruſius in ſuis ſæpè citatis annalibus Sueviæ part. 3. lib. 7. cap. 8. de hujusmodi Commendâ Teutonicâ ſub annum 1471. ita ſcribens: *Abbas Nicolaus Lorchenſis quædam Hohenloenſia (jura ac latifundia) in tractu, qui Herſfeld appellatur, vendidit Domino Joanni de Finſterlœ Commendatori Kapfenburgi Teutonicæ Ordinis, Comite Ulrico (Wirtenbergico) evictionem, ſi opus eſſet, pollicito, & Auguſtano Epifcopo (Joanne Comite Werdenbergenſi) conſentiente.*

LII 3

KAUFF.